



Thesavrvs|| Locorum|| Commvnivm|| Jvrisprvdentiaē

Barbosa, Agostinho

Lipsiæ, 1697

Cap. XXXII. Relaxatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80071)

tom. 4. cap. 693. num. 2. & 3. Robles d. lib. 2. cap. 14. num. 36. & 39. Illud enim fialiter se habet, dispositio referens tanquam erronea corrui, & non attenditur, Decius d. consil. 63. Menoch. conf. 1. num. 96. Octav. Glorit. resp. 12. num. 24. licuti etiam cessare perhibetur, cum absurdum inde resfultaret. Menoch. lib. 2. arbit. judic. cap. 64. num. 11. Jason in l. talis scriptura. num. 38. de legat. 1. Decius consil. 195. col. penult. vers. quartus. Alexand. 1. cons. 48. Umm. in corollar. disput. 18.

CAP. XXXII. Relaxatio.

Relaxatio vinculum præsupponit, cap. ad disfolvendum 13. de desponsat. impub. l. si de cem 48. de V. O. Nat. tom. 3. cons. 49. num. 4. Est enim relaxare in pristinum statum reponere, c. si annum 3. de judic. in 6.

De Relegatione vid. Exilium.

CAP. XXXIII. Religio.

Axioma 1.

Religio est fulcrum, columna & fundamentum Reipublicæ, quo subtrahito & ipsam concidere, commoto & ipsam nutare necesse est, Arniseus lib. 2. de Majest. c. 1. n. 369. ratio, quia primum omnium in Republica functionum. Aristot. lib. 7. politic. cap. 8. Unde religione nihil majus & sublimius esse dixit Ambrosius ad Valent. Imp. lib. 1. cap. 1. ejus constituendæ jus ad Majestatem pertinere, eique adimi nullo modo posse monstravit Arniseus d. lib. 2. de Majest. d. cap. num. 9. & cap. 6. num. 1. Qua de causa etiam Imperator ante omnia curare debet, ut per omnia superni numinis religionem tueatur, l. unic. C. nemini licet. sig. salu. Christ cum nihil occasui magis subiaceat, quam vera religio, l. inter claras 8. C. de Summ. Trinit. quam generaliter consideratam Jurisgentium esse desumitur ex l. 2. de justit. & Jur. cum omnibus gentibus sua sit religio, si nimirum illud generale axioma species, Deum religiosè colendum esse: vera enim religio hujus juris non est, sed solius divini, abstrusa & abscondita etiam rationi naturali, nisi divinitus reveletur, Psal. 147. vers. 19. & 20. Johan. 1. vers. 18. Paulus ad Roman. 16. vers. 25. Ephes. 1. vers. 9. Just. Meier. ad l. 9. de Leg. Rhod. Quomodo Imp. sit mundi Dom. cap. 6. lit. c. Quapropter divinitas cum diversis patitur religiones, nos unam inquit Theodor. Cassiodor. epist. 26. lib. 1. variar. Epist. imponere non debemus, neque etiam ob diversitatem religionis jura pacis sunt infringenda, vide Synodum Sandomirens. de anno 70. sed potius ista religionis varietas toleranda, non reprobanda. Francisc. Bald. cons. Paris. apud Jean. Francois le petit histor. Belgic. pag.

79. lib. 1. Lyser. in duell. Clesel. Springer. de pac. Religionis, cap. 7. possunt enim esse boni cives, etiam si minus boni Christiani. Hinc sancte & pie Imp. Marcianus sub anno 452. edicto scripsit publico: Nostra clementia nulli penitus necessitatem imponi præcepit, quatenus aut subscribat, aut consentiat, si noluerit; non enim terrore aut violentiâ aliquos trahere volumus ad viam veritatis, inquit Goldastus consil. Imp. tom. 3. pag. 604. quia summa est ratio, quæ pro religione facit, l. 43. ff. de Relig. latè Guilhelm. Boeckel. in tract. de publ. judic. disquisit. coron. pag. 314.

II.

Religionis favor attendendus est, cap. ult. extr. de conversat. infidel. l. 43. ibi: summa ratio est quæ pro religione facit. de religios. & publica utilitas, cap. ult. extr. qui fil. sine legitim. religionis enim favore sit, quod alias non fieret, cap. significasti 18. extr. de homicid. cap. cum 2. extr. de eo qui fur. ita hujus favore mitius agi cum aliquo, textus est in cap. ex literarum 2. extr. qui Cler. vel voventes. ita religionis favore cum aliquo dispensari patet in cap. ex literarum 2. extr. de Apostat. ita religionem etiam humanitati præferri debere, textus est in l. 3. §. 2. Cod. de his qui ad Eccles. conf. l. 27. de condit. instit.

III.

Religionis causam non decet obtendere ad id, quod plane est iniquum, l. sunt persone 43. de Religiosis. l. penult. in quibus causis pign. tacit. contrab. ubi Mornac. Nemo igitur potest officium publicum deferere sub specie Religionis, l. 26. C. de Decur. Perez. eod. tit. n. 44.

IV.

Ea, quæ religiosis adherent, religiosa sunt l. quæ religiosis 34. ff. de rei vind. Lud. Gom. ad §. item Serviana. de act. num. 30.

CAP. XXXIV. Relutio.

Axioma 1.

Quoties jus relucendi simpliciter reservatum, toties præscribitur triginta annis. Quia ejusmodi conventio inducit actionem personalem, quæ venditor potest compellere emptorem ad retrovendendum & rem restituendam l. 1. C. de pact. inter emt. & vend. Zoes. ad ff. in tract. de Retra. l. 32. actioni autem personali triginta annis regulariter præscribitur l. 3. C. de præscript. 30. vel 40. annor.

II.

Quoties conventum, ut relutio quocunque tempore debeat esse licita, toties etiam post triginta annos est permessa l. 31. §. 22. ff. de Edil. Edict. quia sic renunciatum est præscriptioni; hinc emptor vi pacti adjecti semper est in malâ fide, unde non præscribitur ullo tempore. Cap. 2. de Reg. Jur. in sexto.

(T) 2

CAP.